

premerentur. Alter eadem arte, sed diuerso numine, in condendis Lacedæmonum legibus vsus est.

SACERDOS QUIDAM.

EAdem prima ætate Romanorum, vacca portentosa pulchritudinis ac staturæ in finibus Sabinorum edita, consulti Auspices responderunt: fore vt quisquis Dianæ, cuius in Auentino templum erat, eam victimam mactasset, uniuersis orbis Monarchiam patriæ suæ quæreret. Bouis Dominus gaudio exultans, ne quid per moras de ingentis rei occasione prætermitteret, in Auentinum propè perductam ante aram statuit, et iam cultris ac vasculis ex more conquisitis accingebatur, erat totus in sacrificium intentus Sabinus velut omnium terrarum Imperium quæsiturus. Inter hæc anxium, re comperta, summus templi Sacerdos, sub obtentu religionis abstrahit ab incepto, per quam sanctè admonens: Ne ante sacrificet, quam sese viuis vndis præterlabentis fluminis abluerit. Hæsit ille, & dum venerabundus ad sinistram ripam Tyberis ex colle descenderet, callidus persuasor raptim sacrificium peregit, non insulsa Sacerdotis astutia, vt tunc res erant, sed

sed